

π_n
315



De
ALEXANDRO MAGNO

Disputatio Posterior,
In Illustri Augusteo proposita
Præside

M. CHRISTOPHORO CELLARIO,

Ebr. Ling. & Eth. P. P.

Respondente verò

JOHANNE BENJAMIN Nauman?

Zemptschâ Misnico, S. Theol.

& Phil. Studiofo,

Ad diem X. Novemb. MDCLXXI.

LEUCOPETRÆ,

Excudebat **CHRISTIAN Hildebrandt.**

V I R O

*Maximè Reverendo, Amplissimo atq;
Excellentissimo*

DN. ANDREÆ QVENSTEDT,
S. S. Theologiæ Doctori maximè
orthodoxo, Ejusdem in inclyta Wittebergensi A-
cademia Professore Publico benemerentissimo,
Electoralium Stipendiatorum Ephoro
vigilantissimo,

*Domino, Matruei ac Patrono observantissimè
prosequendo:*



Nec non VIRO

Perreuerendo atq; Praclarissimo

D. N. CHRISTIANO KELLERMAN,
Ecclesiae Cizensium, quæ ad D.
Michaëlis Templum pertinet, Diacono
dignissimo, vigilan-
tissimo,

*Domino, Susceptori ac Promotori etatem
deuenerando, suspiciendo,*

Ad debitam Gratitude[m],

Quo par est animi affectu

& observantiâ,

deklarandam,


Et ulteriorem benevolentiam

aucupandam.

Has primitias studiorum

Consecrat.

Johannes Benjamin Nauman/
Respondens.



Irum forsan videri poterat, quòd
superiori disputatione toti fuerimus in re-
censendis ex Diodoro & Curtio Alexandri
laudibus. Sed desinet mirari, qui animi
nostri propositum penitus cognoverit, &
qua mente hanc palæstram ingressi simus,
& quo judicio consideraverit. *Paradigmati-*
cè Moralem Philosophiam tradituris nobis

Alexandri Magni exemplum non indignum videbatur, in quo
operam exerceremus, quòd cum virtutibus tum vitiis nobilem
fuisse Historici prodiderunt. Non verò id nobis, quod mul-
tis inest, ingenium erat, ut omnia reprehenderemus, accura-
tiores in vitiis censendis, quàm æqui in laude impertienda,
cum vix acerbior injuria aut detestabilior turpitudò sit, quàm
dignos viros suis laudibus defraudare.

I. Cum itaque illud nobis constitutum fuerit, disputan-
do inquirere, *vitiisne an virtutibus major Alexander fuerit*; non
poterat fieri, quin, quas laudes Historici accumulaverant,
breuiter enarrarentur, ut postmodum censurâ vitiorum sub-
junctâ magis innotesceret, num veræ virtutes fuerint, an ad
speciem saltim compositæ.

III. Virtutum sic stadia egressis spatiosior patet Vitiorum
campus, quem quidem non totum percurremus, (quis enim
omnes nequitiae latebras perrepet?) sed quæ fide digni scri-
ptores recensitis virtutibus opposuerunt, exponemus ingenuè
neque *Ἰννεσίσεως* modestæ obliu, neque causæ illius, quæ opti-
mè educatum principem in tanta vitia præcipitavit.

IV. Alexandri severus censor Annæus Seneca est, qui ubi-
bique in illo obseryat, quæ reprehensionem mereantur. Ut

A

rem

rem ex principiis deducat, laxatos affectus perstringit, causam sanè vitiorum & virtutum adversariam gravissimam. Id enim egisse scribit Epistolâ 113. *ut omnia potius haberet in potestate, quam affectus.* Persas, Hircanos, Indos & quicquid gentium usque in Oceanum extendit Oriens, vastatè fatetur & fugasse: at tot regum populorumque victorem iræ, tristitiæ & imperandi cupidini succubuisse etiam non dissimulat, præsertim ultimæ nec modum, nec mensuram novisse, siquidem *dominandi cupido cunctis affectibus flagrantior est*, Tacit. Annal. 15. § 3. 6. Hæc ubi insedit animum, cujusvis vitii licentiam sibi indulget, *nihilque abnuis, dum dominationis apiscatur*, Annal. 6. 45. 7. Ridet hinc, nec injuriâ, Alexandrum aliosque Seneca c. 1. *qui jus dominandi trans maria cupiunt mittere, felicissimosque se judicant, si multas per milites provincias obtinent, & novas veteribus adjungunt, ignari, quod sit illud ingens paratumque regnum.* **IMPERARE SIBI MAXIMUM IMPERIUM EST.** Quâ ultimâ sententiâ Platonem lib. 1. de Leg. f. 511. expressisse videtur, τὸ βικῶν, inqvientem, αὐτὸν πασῶν βικῶν πρῶτη τε καὶ δεύτη.

V. Non malè hîc Seneca. Sanè affectuum suorum dominus à virtute alienus haud est; servus, quovis turpissimo scelere abripitur. Quis enim ignorat Passionum potentiam, quæ tanta scilicet sæpe est, ut sapientissimos quoque de statione deturbare inque vitiorum abyssum præcipites dare sufficiat. Non id quidem volumus, quòd nulla ratione perturbationibus obicem ponere easque subjugare valeat mortalis homo: ætæ enim esset de moralitate actionum nostrarum, si tantum roboris affectibus inesset, ut nos cogere in civilibus & libertate non peccandi exuere possent. Potentissimi quidem sunt, superabiles tamen humanis viribus, & licet non feliciter profligantur, cum incrementum ceperint, facilè tamen nascentes supprimi ac domari possunt, hicque præprimis valet, quod Poëta dixit: *Principiis obsta.* Res mihi similis videtur urbi obsidione cinctæ. Quamdiu missilibus hostem à muris arceat, periculum nullum est expugnationis: si propinquiore accessu tormentorum usus admittitur, fieri non potest, quin tandem

expugnentur. Sic ratio & voluntas affectibus obsidetur, quos facile repellunt, nisi desides sunt in officio, & conniventia sua importunos hos hostes accedere propius patiuntur.

VI. Satira de Alexandri malitia dictum erat, si affectibus succubuisse Annæus Seneca probavit. Quæ enim scelera non infecuta esse exinde conjicitur? Labet tamen potiora ejus vitia examinare, & quantum quodlibet fuerit, Ethicorum norma ac pede metiri.

VII. BELLICAM VIRTUTEM adeo Seneca Alexandro denegat, ut nil nisi *felicem temeritatem* in eo agnoscat, de Benefic. lib. 1. c. 13. & lib. 7. c. 3. secutus hac in re Darium in Curt. 4. 14. 13. *temeritas est, dicentem, quam adhuc pro virtute timuisti.* Gemino exemplo, quod utrumque Curtius suppeditat, res non parum videtur confirmari. Cum Oxydracas expugnaturus præcipiti saltu, dubio regressu in hostilem urbem se solus conjiceret, ipso Curtio iudice 9. 9. 1. *rem ausus est magis ad famam temeritatis, quam gloria insignem.* At feliciter, inquis, cessit non tantum nostro Magno, sed etiam illi Parnesio Alexandro (cujus Loccenius ad hunc Curtii locum meminit,) qui simili saltu in Turcarum triremem se immisit, & strage magnâ editâ ad suos felix regressus est. Verum malè ex felicitate virtutem æstimas. Ad ultimum enim temeritati non sufficit, Curt. 4. 14. 19. Sciastamen, sæpe adesse fortunam, etiam ubi artes desint, quod Cerialis exemplo, de quo hæc Tacitus Hist. 5. 21. 5. enunciat, confirmari poterit. Tunc temeritas in gloriam cedit, & qui fortuiti rerum eventus sunt, altæ magnorum virorum indagini imputantur, adeo specie rerum decipimur!

VIII. Alterum, quod promissi, temeritatis exemplum iterum Curtio 10. 2. 30. notatur, nempe frendens Alexander de tribunali in medium armatorum agmen, seditione sævum, se immittens. Quam facile factum esset, ut sæviens turba nihil majestatem reverita interficeret, pessumdaret, in flumen aliquod traheret? Ita nimirum idem conatus Galbæ successit, qui suo exemplo posteritati ostendit, non semper principem,

A 2

(quod



(quod male quidam Galbæ persuadebant, Sveton. c. 19.) auctoritate & præsentia prævalere, seditio ubi invaluit. Quod si fortitudo Alexandri vacillat, quæ sola tamen Heroica permultis apparuit, de cæteris virtutibus quid spei superesse poterit?

IX. CASTITATI notam inurit vile scortum Thais illa, regis Persarum & Orientis capiti in perniciem nata, cujus temulentæ consilium de incendenda regia properanter secutus alius quoque consuetudinis temulentiam comitantis suspicionem præbet non prorsus nullam. Vide Curtium lib. 5. c. 7. Et quid suspicione opus est, cum enormem libidinem fateantur historici? Diodorus Siculus fol. 603. *Τῆς παλλακίδας ὁμοίως τῷ Δαρείῳ πείνησε, τὸν μὲν δειθρὸν ἔσας ὅκ ἐλάττης πλήθους κτλ. τὸν ἐνιαυτὸν ἡμερῶν.* Quæ sequuntur verba castis mentibus parcens studio omitto, quod Curtium quoque mirandæ modestiæ scriptorem hic solâ *περιφροσύνη* usum esse videam, nempe 6. 6. 8. Adde similem castitatis in scribendo characterem 4. 10. 32. Nec principe satis, nec casto juvene dignum erat, *super vinum & epulas socerum ex deditis eligere*, & illic, quam fors obtulerat, sibi conjungere. Principes principibus conjugii gaudent, quæ potentiam alant, regnumque stabiliant. Nostrum verò Asiæ & Europæ regem *Roxanem*, si stirpi regis conferres, ignobilem puellam duxisse, & quidem impotente animo semel visam intemperanter expetiisse, certè non virtuti, sed effreni libidinum licentiæ argumento est. Vid. Curt. 8. 4. 25. 30.

X. Quam SOBRIUS verò hic orbis domitor fuit? Quicquid virtutis speciem habebat unquam, *intolerabili vini cupiditate fœdavit*, Curt. 5. 7. 1. *Vitia vicerant, intempestiva convivia, & perpotandi pervigilandi, insana dulcedo*, 6. 2. 2. Hac animum occupante emergit, quicquid vitii latebat, crudelitas, insolentia, fastus, libido, arrogantia erumpit & cum dedecore se publicat. Vide sis Nostri mores Curtio lib. 8 c. 1. annotatos, & Senec. Epist. 83. En egregium ebrietatis fructum! Uberior tamen ille, quem *Herculeus scyphus*, ferale poculum, Baby-

Babylone protulerat, præmatura mors Herois hominum opinione fortissimi. *Ναμ καὶ κεί πολὺν ἀκρατον ἐμφορηθεὶς ἐπὶ τελευτῆς Ἡρακλέους μέγα ποτήριον πληρώσας ἐξέπιεν, & exinde τελευτήσας* censente Diodoro Sic. lib. 17. extremō, & Senecā Epist. 83. Hæc sufficit causa inopinatæ morti & florem juventutis suffocanti, & incertius est, quod non omnes, sed *ἄνθρωποι τῶν συγγραφέων* de veneno per Cassandrum Antipatri filium propinato prodiderunt, ut Diodorus c. l. iudicavit, quos secuti sunt Valer. Maximus l. 1. c. 7. Justinus lib. 12. c. 14. Orosius lib. 3. c. 19. & de gravissimo veneno quod *Στυγὸς ὕδωρ* Pausaniæ in Arcad. f. 251. vocatur, id interpretati sunt, quod non nisi in eqvina ungula servari possit. Sed & hoc ipsum non satis certum est, cum ipse Pausanias c. l. fateatur: *σαφῶς μὲν οὐκ οἶδα, λεγόμενον ἢ οἶδα.* Sufficit ergo præmaturæ morti Hercules scyphus, etiam absque veneno si fuisset, & pulcrius decessisset Magnus, si intemperante vitâ mortis ultrò accersitæ non dedisset suspicionem.

XI. Quæ vulgò HEROICA LIBERALITAS in Alexandro prædicatur, quâ tot regna restituerit, quibus demserat, & congiaria urbes fuerint, ea Senecæ PRODIGALITAS videtur, citra rationis & honestatis modum elargiens. In excessu enim peccasse non consideratis circumstantiis QUID, CUI & similibus, elegantissimè probat lib. 2. de Beneficentia cap. 16. cujus verba cum ornatissima sint, hæc lubet integra adscribere: *Urbem cuidam Alexander donabat vesanus, & qui nihil animo, nisi grande contiperet. Cum ille, cui donabatur, seipsum mensus tanti muneris invidiam refugisset dicens, non convenire fortune suæ; non quare, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare. Animosæ vox videtur & regia, cum sit stultissima.*

XII. Quin tu stultissimum Senecam dicis liberiùs regum facta dictaque censentem, & quid decorum principibus, salubre subditis, ignorantem. Sed audi quæso pulcerrimas & ex mediis Ethicorum scholis depromptas rationes, quas Seneca ibidem subjicit: *Nihil per se quæquam decet. Refert, quid, cui quando, quare, ubi & cætera, sine quibus facti ratio non constabit.*

Tumidissimum animal, (ita Alexandrum alloquitur) *si illum accipere hoc non deest, nec te dare. Habeatur personarum ac dignitatum ratio.* Et quæ, quæso, liberalitas est, cum injuriâ eripere, quæ aliis dono des? Quo ipso divini nominis, quod affectabat Alexander, non implevit mensuram, ut scito cavillo Scytharum legatus objiciebat: *si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere*, apud Curtium 7. 8. 26. Alexandri enim quamplurima bella non justissima fuisse, pluribus infra circa justitiam monebitur. Liberalitas verò illud donat, quod justo titulo possidemus, & absque aliorum injuriâ comparavimus.

XIII. GLORIÆ nunc CUPIDO venit & immoderatum studium, amplissimus campus aut Oceanus potius nunquam exhauriendus. Jam tum in puero eluxit insatiabilis cupiditas, dolente, quoties parens vel urbem ceperat, vel prælio hostes devicerat. Verebatur enim impio sanè affectu, ne parens omnem sibi gloriæ materiem præriperet. Vide Plutarch. in vitâ. Protulit copiosè adultior ætas, quæ pueritia præluserat. Veteri orbe non contentus *aliam naturam, alium orbem sibi aperire statuit*, Curt. 9. 6. 20. Parum remoti videbantur Herculis & Liberi patris limites, ulterius progrediendum erat, ne quæquam, neque ex Divûm numero, sibi parem esse appareret.

XIV. Quis verò ille novus orbis, quem Alexander meditabatur? num de *America* forsitan constitit? De *Atlantide* quidem insula, quam Plato in *Timæo* fol. 475. & in *Critia* fol. 502. 504 mirè describit, qualem Phœnices extra Herculis columnas ventô abreptos invenisse tradit etiam Diodorus Sic. lib. 5. fol. 208. potuit quidem constare Alexandro, eamque multi Americam interpretantur, Cluverius scilicet *Geograph. lib. 6. c. 11. §. 2.* Keckermannus *Systemat. Geogr. p. 182 &c.* Nolo me huic controversiæ committere, cum ipse Noster *Anaxarcho* potius has voces debuerit, quo de infinitis mundis differente illacrymasse fertur, quòd nondum unum domuerit.

XV. Quæcunque mens Alexandri fuerit, immensâ tamen

men cupiditate turgebat, quã uni homini non sufficiebant, quæ naturæ universæ fati erant. Noto ergo orbe non contentus ignota in mari bella quærebat, insularum subjectione, si quæ essent, suam gloriam adaucturus. Non inscitè ergo Seneca Epist. 91. existimat, quòd *infelix Geometriam didicerit*, cum non procul à fine mundi abesse ratus novam naturam quærit, veterem nondum dimidiam, nedum omnem adeptus. Victus & victor insolentiã & ridiculã Geographiã mihi pares videntur. Quis enim feret Darii superbam vocem, quã apud Curtium 4. 14. 24. *Solem intra fines regni sui oriri dixit.*

XVI. Nec minus ineptus Alexander fuit, quando (Curt. 4. 11. 22.) se Soli comparavit, ejusquæ unitate totius orbis monarchiam sibi deberi asseruit. Eadem vesania Soleimani erat, qui, Freinshemio ad hunc locum notantè, ex Dei unitate se unum in orbe imperatorem Viennæ obsessis persuadere voluit. Prius se Soli saltem stabilitate, celeritate, efficaciã æquales præstent homines ambitione amentes, tum demum pro sua inde monarchiã concluderent.

XVII. Quid de summã insolentiã dicam, quæ humanæ fortis suiquæ parentis pertæsus cælum involavit & Jovis filius credi voluit? Supremus certè superbiæ gradus gravissimè semper à justissimo Numine ita vindicatus, ut ad regulam traxerint prudentes, tyrannis ad id fastigium enitentibus appropinquare interitum. Dubitanti de verò inspiciatur *pater Philippus* in Diodori lib. 16, exeunte, eo ipso die interfectus, quo *ἑαυτὸν τοῖς θεοῖς σύνθερον καὶ ἡμίθεον*: *Herodiani Commodus* lib. 1. c. 14. *Διὸς υἱὸν αὐτὸν κελεύσας καλεῖσθαι*: *Justini Clearchus*, qui 16. 5. 3. pariter se Jovis filium dixit: *Herodes Agrippas*, cui verba facienti populus fucelamare subornatus erat: *θεῶν φωνή*, *וְהָיָה לְהָאֱלֹהִים בְּנֵי בְנֵי הָאֱלֹהִים* *He sunt filie vocum Dei*, Syro interpretante, id est, divinum oraculum in Templo secundo usitatum. Hos omnes aliosquæ non dissimiles pernix ruina corripuit, ut mirum sit, longanimum Deum tamdiu Alexandri superbiã tulisse, inde nempe ab excursionem ad Hammonis oraculum ad ultimum ex Indiã in Babyloniam regressum. Sed

ve.

venit tandem pro merito supplicium, nec temerarius juvenis impune tulit Deitatem affectatam. Præterea desideratam adorationem & humi jacentium adulationes, cum divina cupienti tantus honor haud quisquam sit, quin majorem concupiscat.

XII X. LUXU tanto diffuebat, quantum vix orbis capiebat. Ut nihil de apparatu, convivii aliisque, quæ à Persis didicerat, nunc proferam, ominosa saltem vestitus mutatio indicio est, puduisse eum Macedoniae, & gentium victorem illorum moribus, quos vicerat, devictum esse. Purpureum diadema distinctum albo, quæ Darius habuerat, capiti circumdedit, vestemque Persicam sumxit, ne omen quidem veritus, quod à victoris insignibus in devicti transfiret habitum. Suos quoque amicos & ministros, aspernantes quidem, sed recusare non ausos, Persicis ornaverat vestibus.

XIX. Dicit vix potest, quantum Macedonas sui moris tenaces hoc ipso offenderit, quosdam etiam in sui perniciem armaverit. Hermolaus homo aperti oris sine figura Alexandro dixit: *Persarum te vestis & disciplina delectat, patrios mores exosus es: Persarum ergo, non Macedonum Regem occidere volumus, & te transfugam belli jure persequimur*, Curt. 8. 7. 12. Nec omen res fefellit. Dario acinacem in formam Græci gladii mutatum vates *μὲτ' ἄσιν* regni interpretati sunt, Curt. 3. 3. 6. Ipse eventus augurium comprobavit. Alexandro spretus patriæ habitus decrementum Macedoniae & vires gentium Persis finitimarum, Parthorum, Syrorum, Ægyptiorum portendebat. Utinam nostratum libido peregrinas vestes & mores cum zelo imitantium nunquam foret ominosa!

XX. CRUELITATEM & IRACUNDIAM Lysimachus leoni objectus, & Clitus hastâ confossus, & Callisthenes cruciatibus enecatus abundanter probant. Hoc est Alexandri crimen æternum, quod non tam hostium, quam amicorum pernicius fuit. Nulla virtus, nulla bellorum felicitas hoc dedecus redimere potest. Nam quoties quis dixerit: *occidit Persarum multo millia; opponetur; & Callisthenem.* Quoties

ties dictum erit: ex angulo Thracia usq; ad Orientis terminos imperium rotulit; dicetur: sed Clitum interfecit. Quam ob rem Callisthenem, Lyfimachum, Clitum, carissimos suos? Quod iste adulari & humi adorare nolebat: ille, præceptor innocenti cruciatus venenô datô finiebat: hic immodicum æstimatorem sui & patris res impiè obterentem Euripidis versu festivè castigabat. Viden' hinc & ARROGANTIAM sua facta extolentem, patris nefariè supprimentem, ut solus videatur esse MAGNUS? Adi, si placet, præter Curtium & Senecam lib. 6. Quæstion. Natural. c. 23. Valer. Max. lib. 9. c. 3. Justinum lib. 15. cap. 3.

XXI. Vitiaverò quis omnia recensabit? Et si vel maximè vellem, verendum tamen esset, ne multitudo eorum enumeranti mihi quædam subduceret. Claudat ergo INJUSTUS LATRO, quem toties Seneca appellavit. Non malè etiam Scytharum legatus alloquitur: *omnium gentium, quas adisti, latro es*, Curt 7. 8. 19. Quid enim aliud est injustum bellum, quàm apertum latrocinium? Finge justè Darium oppugnasse, quid cum Scythis fuit, cum Indis aliisque, qui sub Dario nec fuerant, nec bellicis opibus adjuverant unquam?

XXII. At Herculem se imitari professus est. Respondeat Seneca ex 1. de Benef c. 13. *Hercules nihil sibi vicit: orbem terrarum transivit non concupiscendo, sed vindicando, &c: At hic à pueritia latro gentiumq; vastator.* Egregiè sanè idem Seneca Epist. 94. à justì belli causis ambitionem & inclarescendâ cupidinem excludit non solum Alexandri, sed & Pompeji, Cæsaris, Marii exemplis rem illustrans. Si Pompeji bella justa dixeris, quòd modò in Sertoriana arma, modò ad piratas cogendos & maria pacanda & contra Mithridatem profectus sit; prompta erit ejusdem Senecæ responsio è Politicorum arcanis defumta: *He pretebebantur cause ad continuandam potentiam: Vera causa suberat: infinita cupido crescendi, cum sibi uniparum Magnus videretur.* Eadem ibidem de Cæsare & Mario invenies. Quod si ita est, quotusquisque justè bellabit? multa certè ad justitiam belli requiruntur à Politicis notata;

B

nobis

nobis sufficit confiteri, pleraque Alexandri bella, quæ Dariō victō gessit, non fuisse iustissima.

XXIII. Mirum, quæ Alexander optimè educatus, Philosophiæ præceptis innutritus in tanta prolapsus sit vitia. Ad eò nihil elegantior disciplina & Aristoteles Magister valuit? Valuit quidem, profuit insigniter, quamdiu fortuna, licentia, adulatio, illecebræ juvenem hominem de sede bonæ mentis non dejecerunt. FORTUNAM in primis Alexandri corrupti causis numeramus. Cum undique faveret fortuna, & nullius pugna, quod Livius lib. 9. c. 18. affirmat, non secunda esset, ita merfus est secundis rebus, ut humanæ fragilitatis oblitus modò in luxuriam, modò lasciviam, etiam crudelitatem, potandi libidinem & quæ non immania scelera? prorueret. Sine hoste sic passus est hostilia, & cladis causas, si alia deficiunt, nimia sibi felicitas invenit. Plerumque enim hoc magna fortuna habet, ut in scelera erumpat & improba vota, quæ tandem in iram summi Numinis velut ultima malorum vertunt.

XXIV. Hinc oritur quidvis agendi LICENTIA, quæ in maximâ fortunâ quidem minima debet esse, quod in Sallustii Catil. c. 53. C. Cæsar dicit; verè tamen immodica plerumque evadit, in juvene præsertim, cum Χαλεπὸν μετρησά τῃ καὶ ὄρον ἰπιθεῖναι ἰπιθυμίας ὑπηρετήσεως ἐξουσίας, difficile sit in magna licentiâ moderari sibi & frenos imponere cupiditatibus, doctissimo Imperatore M. Aurel. Antonino apud Herodianum lib. 1. c. 4. censente. Æternâ memoriâ dignæ sunt piæ gloriosi hujus Imperatoris curæ, quas mente mali prælagâ moriturus agitabat, nihil magis timens filio suo, quam ἐξουσίαν ἀντοκράτορα καὶ ἀκώλυτον, licentiâ nimiam, nec sceleratissimus Commodus augurium fefellit. Confer similes Mammææ de Alexandro filio curas lib. 6. cap. 1. ubi optima mater describitur δεδοικῆα, μὴ ἄρα ἡλικία ἀκμάζουσα ὑπηρετήσεως ἀδείας τῃ καὶ ἐξουσίας εἰς τι τῶν γενικῶν ἀμαρτημάτων ἐξοκείλη, veritas, περιουσία etas in summa potestate licentiâ rerum in cognata aliqua impingeret vitia.

XXV.

XXV. Accedebant LOCORUM ILLECEBRÆ, quæ non parum momenti habent in corrumpendâ juventute. Hannibal hybernis enervatus est, & Cannas suas Capuæ invenit, Flor. 2. 6. 21. Nigrum & Macrinum, fortes alioquin imperatores, quid fregit, nisi Antiochenus luxus? Herodian. lib. 2. c. 8. & lib. 5. c. 2. Melior rediisset Alexander noster, si cum solis Scythiis aut Romanis bellum suscepisset, apud quos tum temporis plus proficiebat vitiorum ignorantia, quàm in aliis cognitio virtutum, Just. 2. 2. 15. In Persas verò profectus segetem luxuriæ & vitiorum incurrit, quæ instar Atalantæ pomi virtutis cursum retardant, & tantum non impediunt. Hinc molliùs vestiri, otari, potare, cum fœminis convivari, nitidiùs ungi, Persarum more adorari. Prudentiùs Romani egerunt, qui teste Justino 31. 8. 9. captas civitates inter socios divisere, aptiorem gloriam, quàm possessiones voluptarias judicantes, quippe victorie gloriam Romano nomini vindicandam: opum luxuriam socios relinquendam. Vidit hoc Manlius apud Livium lib. 38. c. 17. milites suos ita alloquens: *Vobis mehercule Martis viris cavenda ac fugienda quamprimum amenitas Asia. Tantum hæ peregrina voluptates ad extinguendum vigorem animorum possunt: tantum contagio disciplina mori quod accolarum valet.* Verba Macedonico exercitui, si audisset & obtemperasset, saluberrima.

XXVI. Nec deerant, qui incenderent juvenis animum & ad omnem nequitiam impellerent. Etenim, quod Vell. Paterculus l. 2. c. 102. dixit, *semper magna fortuna comes ADULATIO est, perpetuum malum Regum,* (liceat ex Curtio 8. 5. 6. sententiam complere,) quorum opes sæpius assentatio, quàm hostis evertit. Princeps adulantium Hammonis sacerdos fuit, qui Magni animo gloriæ cupidine exardescens, suo de Jove patre figmento tantas faces subdidit, ut nunquam extingvi poterint. Nisi potius ipse Alexander sibi dux & tuba extitit, ac, quod Orosius lib. 3. c. 16. observat, *accerditum ad se fami antistitem ex occulto monuit, quid sibi tanquam consulenti responderi vellet.* Sequuntur captivi Persæ, à quibus sensim Macedones discunt, donec post Cliti cadem libertate sublatâ, vultu,

qui maximè servit, assentirentur omnes, Curt. 8. 4. 30. Si ergo nihil veri audit princeps, sed omnium voces ad adulationem compositæ sunt, quæ solus, quod verum est cognoscere, quod bonum, sequi valeat, cum omnes laudent, quod malum, orrent, quod falsum est? Periculum sane principibus vix elutabile.

XXVII. Sed ad *Nostrum* redimus, quem vitiis pariter atque virtute nobilem audivimus. Quæ id fieri possit, non immeritò quis quæsierit. Virtutem, si quæ fuit, ex educatione rectâ & Aristotelis doctrinâ; Vicia ex fortunæ constantiâ, locorum illecebris, adulantium vultu habuit. De virtutibus nolo judicare, quod de Tiberio Tacitus *Annal.* 6. 51. 7. dixit, *in scelera ac dedecora prorupisse, postquam remoto pudore ac metu suo tantum ingenio utebatur*, quibus fucatas & simulatas virtutes notat. Veriores in Alexandro fuisse, characteres ab Historicis expressi vix dubitare sinunt. At ubi fuit virtutis constantia, *δυσάφαιστος* & *ῥεῖστος*, immobilitas, quæ hominem *τετράγωνον* immobilem ac immutabilem reddat? Equidem perfecta virtus non facile dimoveri potest: incoata verò, quæ *Dispositio* vocatur, facilimè excidit, affectu rationem superante.

XXIIX. Quod igitur de Castitate Alexandri Cl. Dürrius, *Moralium* in Althorphina Professor, *Ethicæ Paradigmat.* p. 476. putat, *Continentiam* tantum fuisse, seu *Semivirtutem*; id de reliquis quoque, præsertim de *Mansuetudine* existimamus, Fortitudine exceptâ, quæ sola sublimior videtur & Heroicum gradum assecuta. Si finem urges, qui in fortibus Alexandri factis potius *gloria*, quàm *honestas* apparet; temporum distinctione responderi posse non diffidimus. Si justè Persis bellum intulit, quod *Disput.* I. 9. 12. concessum fuit, negari non poterit, quin recti amore & honestatis studio pro liberandâ & vindicandâ patriâ pugnaverit. Si simul gloriæ avidior fuit, id juventuti & Heroicæ indoli dandum erat, non vitio vertendum, cum gloria ceu indivulsa comes virtutem sequatur, illiusque studium, si non est nimium, virtutis studio quàm

quàm intimè sit immersum. In Asià verò, cum Dariùs occi-
sò à virtute in vitia prorueret, Fortitudo quoque Audaciæ &
Temeritat' cessasse videti potest, quàmvis, quod Curtius 4.9.
23. censuit, audacia rationem minuat, quod nunquam in discrimen venit, antemerè fecisset.

XXIX. Antonius Walæus in Eth. Aristot. p. 80. in Alex-
andro, inquit, fortitudo vera fortitudo non fuit, sed potius animi
quedam ferocia & glorie immodica appetitio. Hæc si alius di-
xisset, faciliùs consensum darem, si de extremo tempore intel-
lectum velit: At dum Walæus ideò Fortitudinem negat, quòd
Temperantia abfuit; non satis id argumenti esse existimamus.
Negari quidem nequit, quòd vitio (licet aliùs objecti) animi
subeunte, virtus concussa debilitetur, nec tam promptè ut antea
suo munere fungatur: totam verò excindi & deleri nondum
tam clarè evictum est, quàm facilè à multis asseritur. Proli-
xè hanc controversiam disputarunt Conimbricenses *Disp. 7. E-*
ibic. q. 4. Picolomineus *Grad. 4. cap. 39. seqq.* qui Walæi partes
defendunt: aut qui contrarium tudentur Wendelinus *Eibic.*
lib. 1. c. 6. q. 2. & Rudrauf *Institut. Moral. quest. 4. de Virt. in*
genere. Id solùm addimus, non ejusdem conditionis esse o-
mnes virtutes, sed quasdam majorem, quasdam levio-
rem cum cæteris cohesionem habere. A negata circa honores
mediocritate si argumentum duxisset Walæus, faciliorem as-
sensum daremus, quòd sic non potest fieri, quin firis circum-
stantia periclitetur: At ex negata Temperantia Fortitudinem
negare non firma nobis videtur consequentia.

XXX. Ergo Audax factus est, si Fortitudo non permansit?
Sine ratione, & ex impetu sapius egisse, vix crediderim: ne-
que tamen Fortitudo vera potest esse, quæ gloriam honestati
anteponit. Quid si nec perfectam Fortitudinem mansisse,
(cadente finis circumstantiâ,) neque consummatam Temeri-
tatem successisse statuamus? Virtus etenim & vitium admittunt
gradus, & pro pluralitate circumstantiarum, quæ ad formalitatem
utriusque requiruntur, nunc propiùs, nunc remotiùs à
Medio abesse possunt. Fatemur sic vitia virtutibus successisse,

B 3

non

non tamen ubivis æqualia. Effusissimus circa honores factus est Alexander, & quod conjicio, ex habitu malus: Vehemens quoque in irâ, sed quod poenitentia subibat, indicio residuæ ex virtutibus scintillæ fuit & vitii ad habitus naturam nondum perducti.

XXXI. Par judicium esto de cæteris Alexandri virtutibus. De JUSTITIA satis dictum fuit, fuisse initio Asiatici belli non prorsus nullam, si illud verum erat, quod supponebamus, Patriæ vindicandæ causa in Asiam trajecisse. Quid hoc verò ad Scythas, ad Indos, & ultimi Oceani accolas? Quid ad Callisthenem & Parmenionem, qui optimè meriti indictâ causâ condemnabantur? Exulare Justitiam necesse erat, dum insatiabilis honorum cupido, divini honoris desiderium, ebrietas, iracundia invaluerant.

XXXII. INTEMPERANTIA, utut nimia fuerit, subito tamen gloriæ memoriâ & militaribus negotiis interrumpi poterat, quod fieri minùs potuisset, si ad *ἀκμὴν* habitualis Vitii illa excrevisset. Vide Curtium lib. 6. cap. 2. & HOMILETICÆ quoque VIRTUTES jacturam fecerant, contrariis vitiis in earum locum superinductis. Etenim cum iracundiâ, fastu & superbiâ quæ COMITAS, eademque fuci expers consistet? Qualis URBANITAS est jocum lanceâ vindicare? Vide Senecam in Svasoriâ 3. Hinc non obscurum erit de Vitiis & Virtutibus Alexandri judicare. Esto initio impetii sui superasse virtutibus: Asiæ tamen illecebris victus & constanti fortunâ corruptus majorem historiis Vitiorum, quàm Virtutum materiem reliquit.

XXXIII. Nihilominus si vulgi judicium expetatur, FELIX noster Alexander habetur. Svadet hoc fortuna, quam in potestate habuit, & nullius non pugnæ victor evasit. At quæ in vitiis felicitas? nulla, nisi externa, apparens, à fortunæ bonis, non animi dotibus denominata. Ad ultimum verò fortunæ non sufficit, nec ea diutiùs indulget. Igitur in flore juventæ interceptus Babylone occubuit vel veneno, vel quod Senecæ & Diodoro II, cc. Solino cap. 14. Corn. Nepoti

21. 2. 1. videtur, morbo violentiæ, seu potandi libidine & Herculanei poculi haustu.

XXXIV. Si verò externa felicitas, quam fortuna tribuit, admiranda quoque fuit, id potissimum mirabimur, quòd eundem illi vitæ finem, quam gloriæ voluerit esse fortuna. Prematura plerisque mors visa fuit, si anni ætatis numerentur: Si Politicè judicas, sat diu Alexander vixisse videtur, cum longior si vita fuisset, in deterius famam, & fortunam, quæ utriusque inconstantia est, prolapsuras vidisses: In medio verò rerum cursu extinctus gloriæ & factorum famam, quam vivus habuit, in morte retinuit.

XXXV. Magna etenim exempla sunt casuum humanorum. Livius lib. 9. cap. 17. duo egregia exempla affert, quæ longævitatem Heroibus nocuisse ad oculum monstrant. *Cyrum, inquit, quem maximè Græci laudibus celebrant, quid nisi longa vita, sicut Magnum modò Pompejum vertenti præbuit fortuna? Ita certè res est.* Nam si Cyrus ante Scythicum, Pompejus ante civile bellum decessissent, antequam fortunæ ludibria experti essent, haberetur uterque felicissimus. Sed felicitate sua diutius frui per instabilem fortunam non libet, & si viri & hostes desunt, vel Tamyris aliqua, aut nostris beneficiis obtuati finem vitæ & felicitatis afferunt. Vide Justinum lib. 1. cap. 8. Vellejum Patere. lib. 2. cap. 53.

XXXVI. Igitur non malè cum Heroë agitur, si juvenis extinguitur & in rerum cursu ac incremento gloriæ, fati quoque sic jubentibus, quæ plerumque Heroibus brevioram vitam concedunt, quod piè, non superstitiosè capiendum. DEUS enim operibus ipsorum celeritatem addit, ut brevi tempore cursum absolvant. Absolutis rebus, quibus destinati erant, morte avocatur, ne fortunæ fiant ludibria.

XXXVII. Sic ille Rex & juvenis, qui miraculo & stupendo exemplo habetur, & ad imitandum & ad fugiendum propositus fuit. Indefessa industria, accurata doctrina,

na,

95
117
315

as, intrepidus animus, libidinum continentia, in victos
clementia dignæ certè virtutes sunt, quas in imitationem
trahant, cujuscunque ordinis sint, ingenui adolescentes. U-
tinam verò hanc laudem Alexander conservasset! Utinam
nunquam fecisset, qui fugiendorum vitiorum exemplum
proponeretur! Sed (dedecus!) plura inveniuntur, quæ de-
vitanda sunt juventuti, quàm virtutes imitanda. Vident
adolescentes, quid Magni hujus felicitatem abruperit, glo-
riam fœdaverit, suorum odiis exposuerit, vitâ tandem pri-
vârit ipsâ. Quodnam est tantum malum, horum malo-
rum causa & origo? Ebrietas est, superbia est, libido, cru-
delitas, mutatiqve vestitus luxuries. Breviùs dixerim:
Voluptatum dulcedo fuit & ambitiosa superbia, quæ tan-
tum Regem ac populorum domitorem de fastigio deturba-
runt, infamiâ conspurcarunt, obstetricantibus licentiâ, for-
tunâ & locorum illecebris. Quem enim aspera Mace-
donia felicem genuerat, opulentissima Persia in suos mores
mutatum enervavit, vitiavit, obtruncavit. MAGNUS
es utique ALEXANDER, MAJOR tamen futurus, si benè
ceptâ viâ perrexisses.

Livius lib. IX. cap. 18.

Loquimur de Alexandro nondum merse secundis
rebus, quarum nemo intolerantior fuit, qui si ex habi-
tu novæ fortunæ, noviq; , ut ita dicam, ingenii, quod
sibi victor induerat, spectetur, Dario magis similis,
quàm Alexandro fuit. Referre in tanto Rege piget,
superbam mutationē vestis & desideratas humi jacen-
tium adulationes etiam victis grayes, nedum victori-
bus, & fœda supplicia & inter vinum & epulas cædes a-
micorum, & vanitatem ementiendæ stirpis. Quid si vi-
ni amor indies fieret acrior? quid si trux ac præfervida
ira? nullane hæc damna imperatoriis virtutibus duci-
mus?

FINIS,

ULB Halle

002 164 71X



Pou
Th 315
Qu

ULB Halle 3
004 516 109



Sb. f

1017





